

των LXX derivata est, cui etiam concinit interpretatio S. Petri in 1. Epist. II, 24. Verum licet hic primarius sit verborum Isaiae sensus, nihil impedit quominus etiam de morbis corporalibus intelligantur, ut Matthaeus intellexit VIII. 17. Verba enim illa generalia sunt: *languores, dolores*, nec addit propheta sive *spirituales, sive corporales*; possunt igitur de utrisque simul intelligi, quamvis de illis primario, de his autem secundario, praesertim cum corporales dolores peccati effectus ac poenae sint, semper quidem originalis peccati, saepe etiam peccatorum actualium. P. Patrizi op. cit. pag. 17 paulo aliter respondet: nempe totum Isaiae locum de malis corporalibus intelligendum esse, sed quatenus poenae sunt peccati, haec autem mala dici primo a Christo *auferenda* seu curanda, et ad hoc referri primum hemistichium: *languores nostros ipse tulit*, idest abstulit, iuxta usum hebraicae vocis נשׂוּי secundo vero eadem a Christo *portanda* esse, seu in se suscipienda, ac toleranda, et ad hoc refert alterum hemistichium: *dolores nostros ipse portavit* (בבל gr. ἕρασανεν Mat. VIII. 17). Porro Matthaeus primum sensum prae oculis habuisset directe, alterum indirecte. Haec responsio non arridet laudato Beelen (op. cit. pag. 80 seq.) qui putat verba Isaiae intelligenda tantum de corporalibus morbis a Messia auferendis prodigialiter, ut Matthaeus docet, quod tamen nobis subtilius videtur, quam verum, cum et contextus, et communis Patrum interpretatio contrarium suadeat.

6) Altera Isaiae sententia ib. vers. 8: *Generationem eius quis enarrabit?* quae veluti alterum palmare argumentum habetur a patronis adversae opinionis variis modis explicari potest; aut enim dicendum est locum esse ambiguum, seu certo non apparere de qua generatione loquatur propheta, aut cum Patritio dicendum est utramque generationem, aeternam scilicet ac temporalem, ibidem designari utramque profecto ineffabilem, nec tamen inde sequi duplicem esse illorum verborum sensum, sed potius unum genericum sensum, sub quo duo comprehendantur: vel denique, cum Forerio, Sasbout, et Beelen, Isaiae verba nec de aeterno nec de temporali Christi ortu intelligimus, sed potius de hominum collectione idest, sive de coaevis Christi, quorum perversitatem merito inenarrabilem et incredibilem diceret propheta, sive de

posteritate, seu innumerabili hominum multitudine qui Christi passione salvandi erunt, et Christi fidem susceperunt. Huic postremae interpretationi favet tum hebraica vox נרר et graeca γενεα, quae de hominibus collective sumptis in sensu praedicto, potius quam de generatione seu nativitate vel ortu alcius intelligi potest, tum etiam contextus sermonis (vv. 10-12); nec obstat Patrum interpretatio, quia in hoc loco exponendo minime consentiant. Quaecumque ex hisce responcionibus adhibeatur difficultas removetur, nunquam enim demonstrabitur citata Isaiae verba duos vel tres simul literales sensus vere distinctos continere.

7) Locus cantici Habacuc III. 2 revera ambiguus est ob hebraicarum vocum diversam pronunciationem, et scriptionem, ut alias animadvertimus: quare haec difficultas eamdem admittit responcionem quam dedimus ad verba Iacobi Gen. XLVII. Ecclesia vero utramque interpretationem recipiens in graeca et latina vulgata nequaquam intendit utramque simul probare ita ut ambae necessario verae sint. Laudatus Beelen existimat ipsa hebraica vocabula olim diversa fuisse ab hodiernis, ideoque totum discrimen versionem ex codicum varietate repetendum esse (1).

8) Denique ad verba Caiphae quod attinet Io. XI, 50 seq. concedimus duplicem ea sensum literalem continere. Verum locus causam adversariorum non iuvat. Nos enim agimus de multiplici sensu ipsius Scripturae, seu ab auctore Scripturae saltem primario intento; iamvero in obiecto loco alter quidem sensus a Spiritu Sancto intendebatur, quod nempe Christi mors hominum salutem paritura esset, alterum vero erat contra Spiritus Sancti intentionem, et uni Caiphae proprius: Spiritus Sanctus autem in hoc casu usus est linguae eius instrumento, ut aliquid veri praeter eius intentionem ediceret, quemadmodum saepe ex hominum perversorum machinationibus, ac ipsis delictis suos fines sapientissimos assequitur. Et haec de testimoniis Scripturarum.

3° Ad Patrum et Doctorum Scholasticorum auctoritatem generalis responsio est: duobus, vel tribus exceptis, eos pro sententia multiplicis sensus literalis perperam adduci: illos vero paucos tum ex eo quod pauci sunt, tum ob modum, quo suam opinionem

(1) Vide Beelen op. cit. pag. 90 seqq.

proponunt, rem prorsus non evincere. Sed pauca de praecipuis adductis testimoniis in specie dicenda sunt. Et primum de Patribus.

1) Testimonium *Basili* a Salmerone citatus ad rem non pertinet; non enim ibi loquitur de sensibus Scripturae, sed de varia acceptione quarundam particularum in formulis theologicis, ac praecise in doxologia SSae Trinitatis, quam alii, et ipse Basilius in variis sermonibus aliquando enunciabant ita: « Gloria Deo, ac Patri, cum Filio una cum Sancto Spiritu » aliquando autem: « Gloria Deo ac Patri per Filium in Sancto Spiritu; » de qua differentia S. Doctor interrogatus fuerat ab Amphiloquio Iconiensi Episcopo, cui respondet per hunc librum de Spiritu Sancto, in cuius prooemio occurrit testimonium pro adversa sententia citatum, et quod ex dictis ad aliam prorsus questionem pertinet: idque ex ipsis eius verbis si integra legantur evidenter innotescit (1). Chrysostomi verba in hom. XXI in Gen. nihil aliud significant nisi omnia in Scripturis sapienter scripta esse, et nihil inutiliter vel temere dictum, minime vero plures simul sensus literales in eodem loco contineri. Quod quidem S. Doctor hyperbolicis illis locutionibus exprimit dicens magnos thesauros sensuum, multasque latentes divitias in singulis apicibus ac litteris contineri. Scilicet in hac homilia explicaturus erat Cap. V Geneseos in quo Adami genealogia pertextur; quapropter veritus ne auditores ariditatem argumenti persentientes languescerent, vel attentionem negarent, op-

(1) Ita enim alloquitur Amphiloquium: « Collaudavi in moribus tuis discedendi et laborandi studium; ac supra modum delectatus sum attentione atque vigilantia elucente in tua illa sententia, qua vocem nullam ex his quae in omni sermone usu de Deo proferuntur, citra examen relinquendam putas, o caput carum, mihique maxime omnium pretiose, frater Amphiloqui; » et paulo post (n. 3): « Nuper precanti mihi cum populo, et utroque modo glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum cum Filio una cum Sancto Spiritu, interdum per Filium in Sancto Spiritu; quidam ex his qui aderant, crimen intenderunt dicentes nos non modo novis ac peregrinis vocibus uti, verum etiam inter se pugnantibus. Tu porro maxime horum utilitati consulens... postinlasti quampiam dilucidam doctrinam de vi harum syllabarum, vulgari. Iam igitur nobis breviter dicendum est etc. » et de his particulis earumque theologico usu deinceps subtiliter pertractat praesertim in capp. II-IX.

portune in principio orationis, rhetorico usus artificio, multa praefatur de occultis, et profundis Scripturae sensibus etiam in iis locis quae levia vel ieiuna prima fronte videntur. Utrum vero hi sensus plures aliquando sint in una sententia ne verbo quidem indicat: nisi forte id intelligatur de pluribus sensibus non literalibus sed mysticis, aut etiam per ratiocinium aut per meram accommodationem derivatis, quales certe sunt nonnulli, quos in hac homilia proponit, et explicat. Ad Hieronymum quod attinet eadem plus minus valet responsio: primus enim locus ex Epist. ad Paulinum, praeterquamquod evidenter hyperbolicus est ad profunditatem Apocalypseos exaggerandam, nullo iure transferri potest ad confirmandam sententiam de qua loquimur; ait enim in singulis verbis *multiplices latere intelligentias*, nec tamen dicit *literales*. Est igitur generalis quaedam et hyperbolica expressio, quemadmodum alia similis, qua utitur loquens de eadem Apocalypsi in lib. I adv. Iovinian.: « Vidit, inquit, Iohannes in Pathmos insula apocalypsim infinita futurorum mysteria continentem. » Alter vero locus a Salmerone adductus (ex comment. in Eph. III, 6) aliter omnino intelligendus est: ibi enim agit S. Doctor de vocibus a Paulo usurpatis *cohaereditas, concorporales, comparticipes*, quas licet minus elegantes, retinendas nihilominus docet: « Sed quia, inquit, ita habetur in Graeco, et *singuli sermones, syllabae, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus*, propterea magis volumus in compositione, structuraque verborum, quam intelligentia periclitari. » Non igitur de multiplicitate sensuum, sed de singularum vocum apta significatione loquitur. Haec autem confirmantur ex ipsa Hieronymi agendi ratione: siquidem nullam novimus sive Apocalypseos sive alterius Scripturae libri sententiam, in qua S. Doctor duos simul literales sensus admiserit, sed ubique vel unam profert interpretationem, vel plures adducit, iudicium lectori relinquens, ut eam seligat, quae probabilior videtur.

Et haec quidem de iis testimoniis quae generatim affirmare videbantur multiplicitatem literalis sensus. Ad specialia testimonia quod attinet, obiciebant imprimis verba sancti Leonis, ubi locum Isaiae LIII, 4 de utraque Christi generatione intelligenda esse docet. Verum hic S. Doctor oratorio modo loquitur, non autem Scripturae interpretem agit, ac praeterea sensum illius loci non directe expen-

dit, sed quasi indirecte et obiter tangit inquires: « quia Domini Salvatorisque nostri nativitas non solum secundum Deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito de utraque dictum sit: Generationem eius quis enarrabit etc. » Denique nihil prohibet quominus supponamus S. Leonem ita verba Isaiae intellexisse ut non quidem duplicem habeant sensum sed unum genericum, sub quo duo speciales comprehenduntur, ut superius notavimus.

De auctoritate S. Augustini paulo plura dicenda sunt, et primum de eius verbis ex lib. XII Confess. desumptis. Nonnulli auctores negant hunc Augustini locum favere multiplici sensui literalis: Cl. Beelen concedit quidem de multiplici sensui literali cum loqui, sed contendit non nisi eius possibilitatem admisisse, minime autem affirmasse ita rem se habere in Scripturis. Nobis omnino videtur Augustinus hoc adfirmasse, simul tamen contendimus nullum validum argumentum exinde peti posse pro sententia quam impugnamus. Quod multipliciter literalis sensus ibi admisit Augustinus nimis clare ex eius verbis innoscit: non solum enim ait Moysen *utrumque* sensum quem interpretes tribuere solent eius verbis Gen. I, 1 in mente sua habuisse, sed etiam *omnino sensitse*, cum ea scriberet, et duos illos sensus, et alios qui iisdem verbis subesse possunt. Verum ex alia parte multa sunt quae vim eius testimonii immi- nuunt. Ac primo quidem manifestum est S. Doctorem non Ecclesiae sententiam, nec etiam communem Doctorum opinionem proponere, sed suam, et quidem novam et ab aliorum sententia et consuetudine alienam: deinde ipsam suam opinionem non uti certam nec asseveranter proferre, sed timide et potius ad charitatem et concordiam praeferendam, quam ad quaestionem theologiam dirimendam, ut ex toto loci contextu evidenter apparet. Cum enim dixisset unanquemque interpretem pro sua sententia pugnare et contendere certo quodam modo Moysen sensitse, veluti se interponit inter contententes inquires: « religiosius me arbitror dicere: cur non utrumque potius (Moyses sensit) si utrumque verum est? » Accedit ipse titulus Cap. XXXI ubi hanc quaestionem de Moysi verbis incipit tractare; non enim titulus est: de uno vel multiplici literalis sensu, sed iste: *Tractatores Scripturae diversa sentientes concordent invicem charitate*: quod ostendit scopum Augustini in iis

scribendis mere practicum fuisse: tum vero incipit idem caput: « In hac diversitate sententiarum verarum, concordiam pariat ipsa veritas, et Deus noster miseretur nostri, ut legitime lege utamur praecepti sine pura charitate. Ac per hoc si quis quaerit ex me quid horum Moyses ille tuus famulus *sensierit*, non sunt hi sermones confessionum mearum. » Quod ostendit eum quaestionem dirimere noluisse: postea vero ad pacem fovendam temperamentum illud insinuat quasi diceret: quid oportet de hoc vel de illo sensu litigare? Dicamus potius omnes hosce sensus simul Moysen intenderitse, et omnis controversia cessabit. Accedit etiam Augustinus in hac opinione proponenda modum excessisse: non enim contentus est uno vel altero sensu, sed addit: « et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quisquam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur (Moyses)? » Quinimo ulterius progressus postea inquit: « Sensit ille omnino in his verbis, ac cogitavit cum ea scriberet quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus et tamen in eis inveniri potest. » Sed hoc nec adversarii admittere vellent. Denique in aliis locis ubi quaestionem istam veluti theoretice pertractat sanctus Doctor contrarium affirmare videtur, aut saltem supponere, unum scilicet dumtaxat esse literalem sensum: ita ex. gr. in lib. I de Doctr. Christ. Cap. 36: « Quisquis, inquit, in Scripturis aliud sentit quam ille qui scripsit, illis non mentientibus, fallitur; sed tamen.... si ea sententia fallitur quae aedificet charitatem, quae finis praecepti est, ita fallitur ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilis viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi, etiam in transversum, aut perversum ire cogatur. » Ubi manifeste iuceleat posse aliquam interpretationem esse veram intrinsece, quin tamen hermeneutice vera sit, seu mentem auctoris repraesentet. Item postea lib. III Cap. 2 expresse docet in locis Scripturae ambiguis non utrumque sensum accipiendum esse, sed diligenter adhibendas esse regulas, quas ibi tradit, ut ex duobus vel pluribus quinam verus loci sensus sit dignoscatur: « ut videamus, inquit, cuinam sententiae de pluribus, quae ostendunt se, ferat suffragium (contextus sermonis), eamque sibi contexi patiar. » Et iterum in libro 1 De Gen.

ad lit.: « Cum divinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum (obiective si spectentur) qui de paucis verbis eruuntur, et sanitate catholicae fidei muniuntur, *id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus*: si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturae non impedit, et cum sana fide concordat: si autem e Scripturae circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana praescribit. Aliud est enim *quid potissimum auctor senserit* non dignoscere, aliud autem a regula pietatis aberrare. » Hisce omnibus consideratis, merito concludimus testimonium Augustini ad hanc quaestionem dirimendam urgeri non posse. Nec magis valet alter locus obiectus ex Lib. III. de Doctr. Christ. Cap. 27, ubi affirmat ex divina providentia factum esse ut eadem verba Scripturae pluribus intelligantur modis; per hoc enim affirmare non vult ea loca plures simul literales habere sensus, sed tantum plures interpretationes pati, quae quidem omnes verae sint veritate obiectiva atque ideo Deo tribuendae sint, a quo omnis veritas procedit, non tamen omnes sint Scripturae ipsius sensus, atque ideo interpreti laborandum esse ut *perveniat ad voluntatem* sacri Scriptoris, scilicet ad unum illum sensum quem auctor intendit. Hanc esse Augustini mentem docet integer contextus huius capituli et sequentium, nec non alia testimonia libri I. ut supra vidimus.

Testimonia S. Gregorii, M. non de multiplici sensu literali sermonem faciunt, sed de sensus ambiguitate, quemadmodum ex contextu apparet: ibi enim agit de obscuris verbis Ezechielis III, 13 quorum sensum fatetur se certo definire non posse, utrum nempe mystica illa animalia dicantur mutuo se alis percutere, an potius unamquodque seipsum.

Verba S. Bernardi ex hom. 51 in Cant. eadem ratione intelligenda sunt: aut, si placet, de variis Scripturae sensibus non veris, seu ab Hagiographis perspectis, sed potius derivatis, et accommodatis, quibus S. Doctor maxime indulgere solebat. In obiecto enim loco tractans de diversa explicatione a se proposita verborum Cant. II, 5 ait: « Non sane a prudente de diversitate sensuum indicabor, dummodo veritas (intrinsicae et in se) utrobique nobis patrocinetur, et caritas, cui Scripturas servire oportet, eo aedificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros eruerit intel-

lectus. » Et quadam similitudine proposita, concludit: « Ita unus quilibet divinus sermo non erit abs re si diversos paria intellectus, diversis animarum necessitatibus et usibus accommodandos. » Denique auctoritas Concilii Lateranen. IV in cap. *Firmiter* perperam omnino in quaestione nostra allegatur. Nam nulla ibi Scripturae verba citantur, et etiamsi concederemus Patres Lateranenses in mente habuisse prima verba Geneseos, non tamen inde sequeretur duos sensus illis tribuisse. Nam nec certo apparet duas veritates eos definire voluisse; aiunt enim: « Creator omnium invisibilium, spiritualium et corporalium, sua omnipotentii virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam » ubi illud *simul* non est necessario accipiendum quasi Angeli dicantur eodem momento creati ac mundus materialis, sed aliter intelligi potest pro *similiter, pariter*, quemadmodum ex. gr. in Ps. 13, dicitur: « Omnes declinaverunt, *simul* inutiles facti sunt » idest pariter, similiter, eodem modo, quo sensu etiam apud classicos scriptores aliquando accipitur. Deinde, etiam admissa hypothese quod Concilium duas veritates definierit, dici posset nequaquam ambas ex iisdem verbis *in principio* illas deduxisse, sed alteram, scilicet nihil ante mundum exstitisse, ex verbis *in principio*, alteram vero, seu mundum non esse aeternum, ex sequenti verbo *creavit*, ut subtiliter observat Patritius (op. cit. pag. 21.).

2) Quod pertinet ad Scholasticorum doctorum sententiam ex. gr. Henrici Gandavensis, Alberti M., Alexandri Alensis, Nicholai Lirani, Alphonsi Tostati, Pauli Burgensis, hi omnes frustra advocantur pro sententia multiplicis sensus literalis; non enim de hoc loquantur, sed potius de pluralitate sensus in universum accepti, scilicet vel literalis vel spiritualis et mystici, aut etiam accommodati (1). Commentatores vero Summae Theologicae S. Thomae dum interpretantur Par. I quaest. I Art. 10 in diversas abeunt sententias ut postea exponemus, ita ut nihil ex eorum auctoritate concludi possit. Dicendum tamen est aliquid de Sanctis Bonaventura, et Thoma. Et ad primum quod attinet facili negotio res expeditur. Nam S. Bonaventura nec verba Gen. I, 4, nec alia Ps. 2, 7 affirmat duplicem simul sensum continere, sed tantummodo ea posse

(1) Plura de his vide apud Beelen op. cit. pag. 101-102.

variis modis exponi, ut ex contextu sermonis S. Doctoris evidens est: ait enim verba *in principio* tripliciter *posse* accipi, idemque verbum *posse* pro singulis repetit in utroque obiecto testimonio: si vero in primo testimonio addit omnes istas expositiones *veras esse et catholicas*, id intelligendum est eo sensu quod in *se* verae sint, et a fide catholica non damnentur. Denique S. Bonaventura in 4 Sentent. Dist. XXI Par. I Dub. 1. unitatem literalis sensus satis clare docet cum ait: « Respondendum est ad hoc, quod una Scriptura multis modis potest exponi: *unus quidem est principalis et literalis intellectus*, plures tamen esse possunt per adaptationem ».

Nunc de sententia S. Thomae inquirendum est. Quatuor testimonia Angelici Doctoris citantur pro adversa sententia quorum tamen unum dumtaxat vel alterum difficultatem praesertit, alia autem non faciunt ad rem. Sane 1° in Quodlib. VII quaest. 6 non solum non affirmat multiplicem literalem sensum, sed prorsus negat. Imprimis enim verba illa quibus adversarii inniuntur: *unde totum id ad sensum literalem pertinet, quod ex ipsa verborum acceptione recte accipitur*, nihil aliud significant, quam integrum conceptum qui verbis exprimitur esse sensum literalem, non autem multos simul sensus literales esse in iisdem verbis: hinc, ut recte observat Beelen, non dicit *omne id*, quod posset praefato modo intelligi, sed *totum id*, quod ad multiplicem sensum trahi nullo modo potest. Quin imo hoc prorsus excludit S. Doctor; nam ibidem (art. 14) respondens propositae obiectioni quod pluralitas sensuum (literalis nempe et mystici) aequivocationem inducat ita loquitur: « Ad obiectum ergo dicendum, quod varietas sensuum, quorum unus ab alio non procedit, facit multiplicem (aequivocationem) locutionis; sed sensus spiritualis semper fundatur *super literalem, et procedit ex eo*, unde ex hoc quod S. Scriptura exponitur literaliter, et spiritualiter, non est in ipsa aliqua multiplicitas » quod nostram sententiam omnino confirmat. 2° Alter locus in 2 Sent. dist. 12. Art. 2 ad 7 ubi S. Thomas affirmat Scripturam diversimode exponi posse, *quia maiori veritate eam Spiritus Sanctus foecundavit* etc. nihil aliud spectat nisi Scripturae obscuritatem, et ambiguitatem. Agebat enim S. Doctor de quaestione utrum mundus totus simul creatus fuerit, an spatio sex dierum, et ob-

servat narrationem Gen. I. a Patribus utroque modo intellectam fuisse, quae expositiones licet tam diversae, ambae tamen defendi possunt. Non ergo de pluribus simul sensibus loquitur, cum impossibile sit ex rei natura utrumque illum sensum *simul* verum esse, nempe omnes res mundanas et uno momento creatas esse, ut Augustinus explicabat, et spatio sex dierum, ut intellexit Ambrosius. Quod autem addit *maiori veritate* Scripturam foecundatam fuisse a Spiritu S. *quam aliquis homo advenire possit*, referendum videtur ad profunditatem ipsius Scripturae, quamvis non ita clara sint S. Thomae verba; numquam tamen detorqueri poterunt ad significandam multiplicem sensum literalem. 3° Tertius locus desumitur ex quaest. IV de Pot. a. 1. ubi sanctus Doctor affirmat *omnem veritatem*, quae *salva literae circumstantia* potest divinae Scripturae aptari esse eius *sensum*. Huic testimonio diversae dari solent responsiones. Nonnulli enim, inter quos P. Patritius, reponunt hic nullatenus affirmari multiplicem literalem sensum, alii vero concedunt de hoc loquutum esse S. Thomam, sed tamen non omnino affirmasse id de facto in S. Scriptura locum habere, aut omnino tenendum esse, sed tantum non esse incredibile: ita laudatus Beelen. Sed ut de hac re iudicium ferri possit necesse omnino est contextum huius loci in medium afferre. Quaestio, quam Thomas pertractat haec est: *utrum creatio materiae informis praecesserit duratione creationem rerum?* Ad quam solvendam observat verba Gen. I, 2.: *Terra autem erat inanis et vacua*, diverso modo intelligi posse, et a diversis intelligi: ab aliis scilicet de materia *absolute informi*, seu omni prorsus forma destituta, ab aliis autem de *relativa* informitate, seu quod materia licet aliquam haberet formam, nondum tamen accepisset suum ultimum complementum, et decorem: « Neutrum, inquit, a virtute fidei discordat, et utrumque sensum *circumstantia literae patitur*. » Hic clarum est non recipi utrumque *simul* sensum, nam ambo simul veri esse non possunt, sed *disiunctive* tantum propter loci obscuritatem, et ambiguitatem. Verum gravior exurgit difficultas ex iis quae in corpore articuli fusius traduntur: proposita enim quaestione de sensu illorum verborum ita disputat Angelicus Doctor: « Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus lib. XII Confess., circa hanc quaestionem potest esse duplex disceptatio; una de ipsarum rerum veritate,

alia de sensu literae, quae Moyses divinitus inspiratus principium mundi nobis exponit. Circa primam disceptationem duo sunt vitanda, quorum unum est, ne in hac quaestione aliquid falsum asseratur, praecipue quod veritati fidei contradicat; aliud est ne quidquid verum aliquis esse crederit, statim velit asserere ad veritatem fidei pertinere. Circa secundam disceptationem duo etiam sunt vitanda: quorum primum est, ne aliquis id quod patet esse falsum, dicat in verbis Scripturae, quae creationem rerum docet, debere intelligi; aliud est, ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, ut alii sensus, qui in se veritatem continent, et possint, salva circumstantia literae, Scripturae aptari, penitus excludantur. » Hucusque nihil occurrit quod faveat multiplici sensui literalis: in praefatis enim verbis id tantum traditur, non esse ita tencitior adhaerendum uni interpretationi, ut penitus excludantur aliae diversae; quando scilicet nulla interpretatio certa omnino ac indubia sit, ut recte observat Patritius. Verum difficultas oritur ex sequentibus verbis. Ita enim prosequitur S. Doctor: « Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una litera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem quam mente conceperit; et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur dum si aliquid, quod quisque ex Sacra Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium eius sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera quae homines possunt intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie literae designarent; ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae literae aptentur quae auctor non intelligit, non est dubium quin Spiritus Sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae Scripturae. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae Scripturae aptari, est eius sensus. » Quid ad haec respondemus? Cl. Beelen non sine aliquo fundamento suspicatur totum hunc locum interpolatum esse, et ab aliquo commentatore per modum glossae additum praecedentibus Thomae verbis: parum enim cohaeret scopo huius quaestionis, nec consueta Angelico Doctori claritate ac styli brevitate pollet. Verum, admissa etiam testimonio,

responderi potest hanc opinionem ut mere probabilem hic proponi, ait enim non esse incredibile rem ita se habuisse: quare nec audeat in ea opinione insistere: secus non dixisset alios sensus, qui, salva circumstantia literae, Scripturae aptari possunt non esse penitus excludendos, sed absolute adfirmasset recipiendos esse. Denique in sententiis S. Thomae explicandis est principium apud Theologos receptum eius mentem desumendam esse ex iis quae docet in *Summa Theologica*, etiamsi paulo diversa tradiderit in aliis praecedentibus scriptis. Restat igitur ut expendamus 4^o Verba obiecta ex P. 1. Summae q. 1 art. 10 ubi ait etiam secundum sensum literalem in una litera Scripturae plures esse sensus. Nonnulli auctores respondent S. Thomam hic non loqui de sensu literali quatenus distinguitur a sensu mystico, sed potius de sensu Scripturae in genere, quem multiplicem esse dicit et probat. Nec desunt rationes ad hanc interpretationem suadendam opportunae; nam ibi ait: « Quia vero sensus literalis est quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturae est Deus, qui omnia simul suo intellecta comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus, si etiam secundum literalem sensum in una litera Scripturae plures sint sensus. » Iamvero sensus, quem auctor intendit non est solum literalis, sed etiam mysticus, ut ipse S. Doctor paulo ante affirmaverat. Praeterea in hoc ipso articulo in resp. ad 1^o expresse tradit sensum literalem unum esse: « Ad primum ergo dicendum quod multiplicitas horum sensuum (literalis, allegorici, tropologici et anagogici) non facit aequivocationem, aut aliam speciem multiplici-tatis; quia, sicut iam supra dictum est, sensus isti non multiplicentur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia res significatae per voces, aliarum rerum possunt esse signa. Et ita nulla confusio sequitur in S. Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet literalem, ex quo solo potest trahi argumentum etc. » Denique titulus articuli est: *Utrum Sacra Scriptura sub una litera habeat plures sensus*, cui quaestioni respondet affirmative, adducens verba Gregorii M. in 20 Moral. ubi ait Scripturam uno eodemque sermone dum narrat gestum, prodere mysterium, quod manifestum est referri ad sensus tum literales tum mysticos, seu ad sensum mysticum literali superadditum; et ita a S. Thoma intelligitur, qui statim explicat quinam sint illi plures

sensus sub una litera, scilicet literalis, quo voces significant res, et spiritualis quo res significatae per voces iterum res alias significant, quem sensum deinde trifariam dividit iuxta morem: non est igitur quaestio de pluribus sensibus *literalibus* in eodem loco Scripturae. Attamen, quantumvis solida haec argumenta videantur, negari non potest de multiplici sensu literali in una eademque Scripturae sententia loqui S. Thomam non quidem in toto articulo, et quasi ex professo, sed tamen incidenter in fine corporis articuli in verbis ab adversariis obiectis. Sane licet haec verba difficultatem ingerant, et fere contradictionem inducere videantur in totum contextum articuli, non possunt tamen aliter intelligi. Nam imprimis haec verba ponuntur post traditam divisionem inter sensum literalem et spirituales; quare necessario accipiendi sunt pro *subdivisione*, uti aiunt, unius ex illis sensibus, idest literalis, praesertim cum apponatur particula *etiam*, quae hunc sensum omnino efficit: Sacra Scriptura plures quandoque sensus habet non solum secundum generalem acceptionem sensus, sed *etiam* in specie *secundum literalem sensum*. Accedit etiam auctoritatem Augustini a Thoma invocata evidentem ostendere hic de eius peculiari opinione mentionem fieri circa multipliciter literalis sensus: quod enim Scriptura plures habeat sensus, literalem scilicet, et mysticos non Augustinus tantum, sed omnes uno ore fatentur. Non est denique omittenda conclusio huius articuli quae in pluribus Summae editionibus legitur atque ita se habet: « Conclusio — Cum Sacrae Scripturae aactor Deus sit qui omnia simul suo intellectu comprehendit ea ipsa doctrina sub una litera plures sensus habet, *literalem multiplicem*, spirituales triplicem, videlicet allegoricum, moralem et anagogicum. » Quid ergo respondebimus ad auctoritatem Angelici Doctoris? Idipsum quod ad auctoritatem Augustini respondimus, scilicet S. Thomam nihil de hac re definire voluisse, nec omnino affirmasse multiplicem esse aliquando Scripturae sensum literalem: siquidem, velint nolint contrariae sententiae patrum, nihil aliud dicit S. Doctor nisi hoc: *non est inconveniens*, et etiam hoc aliquatenus temperat addens: *ut dicit Augustinus*, quasi nempe id proferat non ex propria sententia, sed quasi per concessionem, et ut Augustino morem gerat. Hinc etiam est quod neque antea in toto corpore articuli, neque postea in responsione

ad obiectiones in praefata opinione insistat, nec ullam amplius de ea mentionem faciat; quinimo in responsione ad 1^{am} ut supra vidimus quasi oblitus verborum quae antea protulerat, aut potius suam sententiam nunc libere proferens expresse affirmat *unum esse sensum literalem*, et pluralitatem sensuum literalium aequivocationem inducere, quae in Scriptura admittenda non est. Denique omitti non debet argumentum quod ex facto ipso et agendi ratione S. Thomae desumitur, ut recte observat Estius in Orat. Theol. XIX iniquiens: « Et vero Thomas nusquam in commentariis, quos multos edidit, uni Scripturae loco plures assignat sensus literales; quod utique fecisset alicubi, si fixa fuisset ei sententia sub una litera plures subinde sensus occultari. » Quare, ut concludamus, fautores multiplicis literalis sensus nullos alios proferre possunt sententiae suae auctores ex Ecclesiae Doctoribus nisi Augustinum et Thomam; qui tamen et ipsi ita modeste et dubitantium more eam proponunt, ut nullum ex eorum auctoritate certum argumentum confici possit.

Commentatores S. Thomae nec ipsi inter se conveniunt in sententia S. Doctoris explicanda, aut in ea sequenda (1) quamvis fatendum sit plerosque in sententiam affirmativam concessisse, et hanc praecipuam fuisse causam cur antiquiores theologi magno numero starent pro multipliciter literalis sensus in Scripturis: sed, ut vidimus, nunquam defuerunt qui contrariam sententiam defenderent, quae apud recentiores, re maturius perpensa, communis evasit.

CAPUT III.

DE MYSTICO SACRARUM SCRIPTURARUM SENSU

Recolenda hic sunt quae superius diximus de notione sensus mystici eiusque divisionibus. Nunc autem nonnullae quaestiones circa hunc Scripturae sensum, seu circa eius existentiam, et exten-

(1) P. Patritius adducit testimonium Sylvestri de Prierio in *Rosa Aurea* Tract. I. Cap. 6 haec de nostra quaestione scribentis: « De hoc enim viri magis nonnunquam dissentiunt. Et omissis aliis, etiam eorum qui sequuntur doctrinam S. Thomae quidam tenent partem affirmativam, quidam vero negativam; et secundam tenentes partem moventur ex verbis eiusdem S. Thomae. »